



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cum Religioso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

24. Si de restitutione loquaris, erit distinguendum, cum Reb. 2. si enim nomine suo famulus illam pecuniam ludo committat, debet eam reddere, non quod ex ludo lucratur.

Ratio est, quia sicuti damno suo ludit, sic lucro suo acquirit. At si nomine domini, utrumque debet; forsitan, quia est domini, lucrum quia domini nomine acquiritur est.

25. Religiosus vel ludit cum consensu Superioris, vel tacito, live expresse, vel sine consensu. Si sine consensu. Dico primo, certum esse ipsum contrahere obligationem restitutionis tum illius, quod ipse lucratur, quod certe debet restitui collatori, tum illius, quod idem Religiosus perdit, quod a victore debet Monasterio restitui, & in victoris defectu ab ipso Monasterio de proprio peculio, si illo fruitur, vel alio similibus modo ut de Religioso furtum committente dicitur in *universum inferius tractat. 4. cap. 1. §. 1.* Ratio huius dicti est, quia contractus est nullus, ut ex dictis patet.

26. Si cum consensu Superioris ludit Religiosus, Dico secundo, non esse obligationem restitutionis, quia contractus est validus, possitque esse utilis Monasterio.

Inquire, potestne Religiosus consumere ludo, quod habet tacite, vel expresse à Prælati in suam honestam recreationem? Id quod etiam potest quæri de Religioso qui ad scientias, verbi gratia, discendas, vel ad aliam gloriam sustentatur extra Monasterium: debet enim & habere aliquid proportionatum in suam honestam recreationem.

Respondet: Reb. loco citato *quest. 4. num. 6.* docet nonnullam esse obligationem restituendi, quia Prælati, etiam prohibent ludum suo Religioso, solum sunt in ius in modo, non in substantia alienationis: iam enim concedunt eam summam alienari posse in recreationibus, quam summam esse quatuor, vel quinquaginta annuorum, docet idem Reb. *Contrà, Rod. 2. quest. 12. Reg. 48. art. 3.* ait semper adesse obligationem restitutionis, quia nunquam præsumitur Prælatum licentia ad expendendum in ludo. Sed est distinguendum: Si ludus sit prohibitus, & indecens statui Religioso, prout cum Rodriquez nunquam præsumi licentiam ad substantiam quidam; quare tunc adesse debet peccatum, onus restitutionis. Si sit licitus, & honestus, cum præsumitur licentia, saltem quoad substantiam alienationis, utrumque onus peccati, & restitutionis evanescit.

27. Quod dico de Religioso, dictum intellige de Religioso seculari ludente cum pecuniis paternis. Solum ad idem Patre seculari præsertim nobili, ac divite facilius, & fortasse semper præsumi Patrem non esse invitum, quoad substantiam, licet sit quoad modum, si filius amittat, etiam in ludo prohibito illam quantitatem contrarium tacite in recreationem; quia minus seculares Patres ad hanc prohibitionem attendere solent, quam Prælati Religiosi.

Ence ludentes

28. Fur, & usurarius, similisque vel ludo exponunt eandem rem numero, quam furati sunt, vel ejus pretium. Si primum, collator, qui etiam bona fide accipit, debet, ubi furtum cognovit, rem domino, non ipsi furi, vel usurario (quidquid alij innotuit) apud Reb. 2. *quest. 4. num. 15.* dicant restituere; quia dominium rei ablata semper remanet apud dominum: Facti autem hac restitutione, fur tenebitur restitutionem rei ipsi collatori restituere: nam contractus ludi fuit iustus, & validus, unde iuste ex Mol. d. 518. collator illam estimationem acquisivit. An, ut reciperet quod iuste jam vici, possit collator rem reddere furi, colligi potest ex dicendis *Tractat. 3. capite tertio §. 2. 6.*

29. Quod si collator sciebat rem fuisse furtivam, & nihil minus ludit, Mol. d. 337. n. 6. negat furem debere restituere collatori illam rei estimationem, quia contractus ludi fuit nullus, ut potest de re scirent aliena.

30. Si secundum, id est, si à fure committatur ludo pretium rei ablata, tunc, si non habet fur alia bona, collator, qui, etiam bona fide lucratur, tenetur re cognita, restituere dictum pretium, quia contractus ludi fuit nullus, cum illud rei pretium omnino solvi debuerit domino, & consequenter ludo exponi à fure non poterit. At si fur alia bona habet, non tenetur collator, quæ vicia restituere. Ita Bonacina d. 1. de *rest. in particul. quest. 2. part. 2. num. 18.* quia fur potest per alia hæc bona ludo satisfaccere, atque ad id exponendo illud pretium validum fecit ludi contractum. Hinc etiam fit, ut in hoc posteriore casu, si fur ipse vincat, non teneatur restituere collatori quod lucratur, tenetur in priore, quia in posteriore contractus fuit validus: ac fuit in priore nullus. Faciunt huc quæ dicam *Tr. 2. §. 4. num. 26.*

Quod si collator sciebat pretium illud esse furtivum, nec furem habere alia bona, recurret doctrina modò data à Molina *num. 29.*

Operatores ludi, ubi de loco, quem appellamus Barattaria.

31. Qui domum, mensam, taxillos, Chartas, similiaque subministrant ad ludum, peccant mortaliter, si ludus sit mortalis, quia illi cooperantur; ut taceam interim hanc subministrationem multis in locis esse lege prohibitam. Tenentur etiam ad restitutionem rerum ibi perdarum, si perdarunt fraudibus, aut ab iis, qui alienare non possunt. Lege Navarrum in *Man. cap. 20. num. 15.* Reb. loco citato, *quest. 5. sect. ult. num. 5.* Molina *disp. 5. num. 5. & d. 233. n. 3.* Tenentur autem secundo loco, id est, in defectum colludentium, ut ex *infra* dicendis colligetur. Cum autem hæc subministratio sit ex se actio indifferens, posse ex rationabili causa excusari à cooperatione peccati: ita de Lugo *tom. 2. d. iust. d. 19. sect. 2. §. 4. num. 76.* sed quia est in materia iustitiæ, causa debet esse major, ut diximus, *sup. lib. 5. cap. 1. §. 4. à numero decimo quinto*, quam in cæteris; utique, omnibus expensis, proportionata rationi.

32. Appendix prædictorum est illa Quæstio, An Princeps licet possit concedere, vel permittere licentiam liberam exponendi domum (*Barattaria*) ad ejusmodi ludos? Et absolute negative respondemus, cum Sanchez Trullench. aliisque apud Dian. *part. 7. tract. 9. res. 39.* quia æquè cooperaretur ad ea damna, quæ non sunt à Principe permittenda.

Dices, permitti solent meretrices, ergo, & huiusmodi lustræ domus. Respondet, adesse manifestas disparitates. Nam primò, majora mala timentur in Rep. ex peccatis contra iustitiam, quam, contra Castitatem. Secundò Princeps non debet esse tam sollicitus de peccatis ex se occultis. Tertio, Facilius abstinetur à prædictis injustis ludis non data commoditate, quam ab impudiciis, quæ, ne peiores committantur, si meretricum prohibeatur, meritiò timentur.

33. Excipit Diana *part. 2. tract. 15. res. 65.* ludum (*Bonavoglia*) & ludum *Capo di Guardia*. Hos enim posse Principem permittere concedit propter rationabiles causas. Nam prior mundat Remp. hominibus perditæ vitæ: posterior tollit Militum otium. Sed in hoc posteriore adverte, illuc solos Milites, non verò alios debere consuere; secus jam non esset ad levandum dumtaxat Militum otium, & rediret doctrina data *num. 32.*

34. Superioribus hisce diebus exagitatum fuit, An viro Nobili liceret in domum suam, non quidem populares quoscunque, sed similes sui Nobiles ad ludendum admittere, iisdemque aleas, & sigilla subministrare,